

FRANCISCI PATRICII
PAMPSYCHIA
LIBER PRIMUS
UNDE SIT ANIMUS.

Quod Græci veteres unico ψυχῆς, nomine significarunt, id duplici, Animi, et Animæ expressere Latini. In etymis eorum, erravere utrique. Illi quod ψυχήν, a verbo ψυλάζω, refrigero deduxere. Contrario ab eius opere, significatu. Quoniam nullibi sit animus ψυχή, quin ibi calor quoque existat. Isti, quod a voce Græca ἄνεμος, qui ventus est, parva admodum detersione animum, et animam, derivavere. Contraria maxime a vera re sententia. Nihil enim minus, quam ventus, animus est, et anima. Error hic uterque a respiratione venit. Nam ea, quæ confesso, animum habent, animantia sunt, et animalia. Hæc vero respirant. Respiatio sit vento, ventus internum refrigerat calorem. A vento animus, a refrigeratione ψυχή, sunt efformata. Hæc sane non videtur vulgi fuisse formatio. Qui cum animam nec videat, nec percipiat an eam habeat, an ea vivat, prorsus ignoravit. Sed sciorum vulgus, rerum naturas, sensu tantum, eoque non integro, venatur. Rationes, a mente, a sensu ductas, penitus negligit. Saniores utroque, et res alias, et animum, at animam altius indagarunt, receptis tamen nominibus sunt usi, Nos iisdem, quoniam in tam vetusta re, nova fingere non liceat, abutemur. Non nomina, sed res ipsas sub nominum significatu indagabimus. Hoc præfati, nos hactenus nominibus animi, et animæ, promiscue, et indistinctim usos. Posthac distincte usuros, ut anima dicat nobis humanam tantum animam. Animus vero, reliquarum rerum animos significet, plantarum, brutorum, et si qui sint in universitate, alii. Id autem ea de causa facimus, quod humana anima, proprias quasdam, nec eas paucas habeat proprietates, quæ cum animis reliquorum, non facile communicantur, aut permiscentur. Atque ideo peculiare, exigit contemplationes. Quas ad humanæ nostræ philosophiæ initia differimus. Reliquis vero, quæ animata videntur entia, animi nomen tribuamus. De animis ergo esto nobis in præsentiarum, contemplatio instituta. Hæc enim post Mentem atque intellectum omnis generis peractam tractationem, necessario videtur consequi. Natura enim in suis operibus non saltat, sed ordine, a proxima causa, proximum producit effectum. At opus sane, perarduum molimur, et apud sapientes omnes, usque a seculi initio, maxime controversum. Non est tamen nobis, qui veram atque integram philosophiam condimus, aut desperandum, aut in opere quantumvis magno, atque arduo, desistendum.

Inde igitur usque ab initio huius nostræ philosophiæ, proposuimus, atque uti verissimum posuimus, a Mentibus esse Animos. Sed proposuisse, et posuisse, philosopho non est latis. Verum quod est, et in naturæ universitate latet, ei est aperiendum, explicandum, et demonstrandum. Hanc ergo rem, Dei Optimi Maximi nomine, ac numine invocato, novo labore aggrediamur. Profecto, demonstratum iam nobis est, ab uno Deo, primissimo, omnia provenisse, Primam scilicet Unitatem, et in ea, et extra eam, omnes unitates. Ab his, primam essentiam, et in ea et extra eam, omnes essentias. Ab his, primam vitam; et in ea, et extra eam, omnes vitas, et ab his, primum intellectum, et in eo, et extra eum omnes intellectus, sive dixeris Mentis. Si in universitate, est rerum ordo: et ab ea semota est omnis confusio, necesse est, ut a Mente, et a Mentibus sit primus animus, et in eo, et extra eum, sint animi omnes. Sive is primus animus, sit mundi animus, sive etiam mundi animo superior. Quod rationes haud multo post, nobis patefacient. Novem ab initio, atque etiam postea, in universitate constituimus rerum gradus. Inter quos, animus, medium tenet locum. Supra animum quatuor esse demonstravimus abunde, Intellectum, vitam, essentiam, unitatem. Sub eo totidem sunt. Natura, Qualitas, Forma, corpus. Inter intellectum et animum, nihil intercedit medium. Superiorum nullum. Ad imperfectionem namque, eorum nullum properat, nullum ex eis descendit. In sublimi consistunt. De suis proprietatibus quasdam non tamen omnes inferis largiuntur. De sua dignitate non dimoventur. Nam neque Peripatus permittet, Primum illum